

nem metiatur inter ſtationes ambas, reperietq; pedes 94. Volvens tunc Dioptram G. ad puncta 94 in Regulâ, & Dioptram H verſus vallum c. habebit pedes 200. Et tot pedes ſuffoſſio debet fieri ſubtus vallum, à prima ejus ſtatione, litterâ a. notatâ. Diſpiciat inde quæ profunditas Foffæ poſſit eſſe, reperietque pedes 20. Ad hanc ergo primam ſtationem fodiat pedes 20. deorſum, aſſumto tamen antè amuſio quadrato bene juſto (*Compaſſum* vulgò vocant) & hoc ſuper Inſtrumentum poſito ad Regulam F. obſervet diligenter locum, quem Magnetis lingua demonſtrat. Suffoſſione igitur factâ circiter pedes 20, demittat perpendiculum a puncto, ubi ſitum erat Inſtrumentum: tunc palum ibi perpendiculariter impingat & normam 6. vel 7. pedes longam palo applicet unâ cum amuſio linguamq; Magnetis dirigat in metam vel ſignum antè factum. Vnde ſi funiculus palo applicetur & juxta normam protrahatur, aliusque impingatur palus, ſuffoſſio ſic juxta normam & amuſium continuanda eſt tantisper dum perducta eſt ad pedes 200.

Ceterum fieri poteſt, ut in petrâ vel rudera incidat Geodæta, aut ſuffoſſio talis in vallo vel urbe inaudiatur: tunc ſi circuitu utendum eſt, ita operetur: Accipiat Quadram & normæ illam applicet, itemq; parti alteri: fodiat tunc juxta illam ſecundum lineam rectam ad latus, quosque illic ad latus pedes foderit diligenter notet. Inde denuò fodiat juxta amuſium & normam, tantisper dum circuitum licet reſumere, fodiatq; tunc iterum juxta Quadram, quot pedes etiam foderat antè.

Exemplum eſto tale: Finge, te fodiſſe uſque ad petram pedes 60. & fodiſti juxta Quadram pedes 15. Præterea ad amuſium & lineam rectam fodiſti pedes 20. Atqui ad latus iterum fodiſti pedes 15. tantisper, dum ad lineam rectam perveniſti. Ad hanc rectam igitur lineam fodiſti pedes 80. Fodiendi ita adhuc tibi ſunt pedes 120. uſque dum ſubtus
uallum